



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus II. De bona fide ad præscriptionem necessaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

prescriptionem etiam utilem actionem habere debeat. *Lege si duo Patroni §. 1. ff. de iurejurando.* Resp. neg. quia universaliter jura loquuntur. Secundo quia sub nomine domini potius venit dominium directum,

quam utile. *Leg. 1. §. qui in perpetuum. ff. si ager vectigalis, vel emphyteuticalis peratur.* Tertio, In argumento adversariorum fit mentio de actione utili, quia materia subjecta id exigit.



Casus II.

De bona fide ad prescriptionem necessaria.

Petrus casu invenit aureum anulum, quem scit esse Caji vicini sui, hac tamen scientia non obstante retinet illum. Idem licet sciret se non habere ullum jus ad pascendos suos boves in vicini sui prato, incipit tamen, & continuat illos pascere. Cum autem ipsemet Petrus obligatus esset, ut vicini sui bobus pastum in suis agris concederet, hunc tamen eidem permittere recusat, suae obligationis optimè conscius.

Quær. Utrum in his omnibus Petrus præscripserit, si requisito à juribus tempore hæc facere continuaverit?

Synopsis.

1. Præscriptio ad duplicem finem tendit.
2. An, & qualis bona fides toto tempore possessionis sit necessaria?
3. Fides, cum qua res possidetur, mala, vel bona potest esse.
4. Error, cum quo noscitur res esse aliena, est, vel non est in conscientia inculpabilis.
5. Ad omnem præscriptionem requiritur fides Theologicè bona.
6. Ad veram ac propriè dictam possessionem requiritur fides positivè bona.

7. Eadem positivè bona fides est etiam necessaria ad præscriptionem, actionum & obligationum.
8. Hinc Petrus in nullo trium horum casuum præscripsit.
9. Præscriptio mala fide facta à jure Canonico reprobatur.
10. Quandonam possessio immemorialis habeat vim tituli.
11. Sola fides Theologicè mortaliter mala obest præscriptioni.
12. Dubius non potest possessionem incipere animo reddendi, si agnoverit rem non esse suam.
13. Sine fide positivè bona non potest formari dictamen ultimum practicum.
14. Quid de regia constitutione Hispanica 9. Tit. 15. lib. 4. tenendum.
15. Qualiter jus in alieno fundo amitti,
16. Et bona fisco addicenda præscribi possint.
17. Actionem judicialem qualiter possimus extinguere.
18. Actio hypothecaria non potest mala fide præscribi.
18. Juxta Papam malæ fidei

præscriptio in nullo foro procedit
20. Possessio bona fide continuatur, quamdiu ignoratur rem esse alienam.

Resolvitur Quæsitum.

NOta 1. mò Præscriptionem I ad duplicem finem tendere, nempe, vel, ut suo subjecto dominium acquirat, vel, ut suum subjectum liberet ab aliquo onere, obligatione, vel servitute. Ideo potest esse quæstio, an, & qualis bona fides requiratur in præscribente, tum, ut acquirat dominium, & qualis, ut ab onere, obligatione vel servitute liberetur.

Nota 2. dò Cùm ad transf- 2 ferendum dominium, vel ad exemptionem ab onere aliquo per præscriptionem possessio per certum tempus continuata requiratur, ideo etiam posse quæri, an, & qualis bona fides toto hoc tempore sit necessaria.

Nota 3. tiò Fidem, cum qua 3 aliquis rem quampiam possidere, vel possessionem illius continuare pergit, posse esse bonam vel malam. In mala fide est,

B 2

qui

qui sciens, & volens rem alienam possidet: in bona verò, qui nescit rem à se possessam esse alienam. Fides bona ulteriùs dividitur in positivè bonam, vel solùm negativè bonam. Fides positivè bona est iudicium, quo quis inculpabiliter, & prudenter iudicat rem possidendam esse suam: Fides autem negativè bona est, quando aliquis non quidem positivè iudicat rem possidendam esse suam, sed neque scit esse alienam, sed dubitat. Fides mala pariter est duplex, una, prout modò diximus, quando quis iudicat rem à se possessam, vel volitam possideri esse alienam. Secundò, quando aliquis quidem iudicat rem hanc esse suam sed ità, ut hoc iudicium fundetur in errore vel ignorantia culpabili.

4 Nota 4.tò Errorem, cum quo aliquis nescit rem alienam esse, posse in conscientia esse inculpabilem vel culpabilem. In primo casu erit fides iusta Theologicè, in altero autem Theologicè injusta. Dein potest ejusmodi error cum ignorantia juris clari esse vel non esse conjunctus; si cum talis juris clari ig-

norantia sit conjunctus, erit fides iudicè injusta: quòd si non sit cum hac conjunctus, erit fides etiam iudicè iusta.

Dico 1. Ad omnem præscriptionem requiritur aliqua Theologicè bona fides. Ità communis. Probatur responsio ex regula *Possessor in 6.* ibi: *Possessor male fidei ullo tempore non præscribit.* Item in cap. fin. de præscripti, habetur: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali iudicio definitivimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica, quàm civilis: cum generaliter omni consuetudini derogandum sit, quæ absque peccato mortali non potest observari.*

Dico 2. Ut aliqua vera propria, ac strictè talis possessio ac præscriptio inchoetur, non sufficere fidem negativè talem, sed requiri positivè bonam, ut talis rei dominium acquirat. Ità communis DD. cum Molina, Lessio, ac aliis. Probatur 2. dò ratione: non possum aliquam rem necdum possessam mihi arrogare animo absoluto eandem possidendi, quando mea conditio ex nullo capite est melior quàm alterius: sed si dubito, an
res,

res, quam volo primùm possidere, sit mea, vel alterius, mea conditio non est melior, quàm alterius: ergo non possum incipere illius possessionem animò absolutò illam possidendi, ut meam. Prob. maj. Si mea conditio non est melior, quàm alterius, & tamen absolutò animò illam possidendi, possidere incipio, tunc me expono periculo violandi jus alterius, ergo cum non debeam me tali periculo exponere, non possum talem rem incipere possidere.

Confirmatur. In *Leg. ultima Cod. unde vi*: dicitur: *Omnes enim scire debent, quod suum non est, id ad alios omnibùs modis pertinere.*

Confir. 2. dò. Potest esse, ut de proprietate rei, utrum mea sit, dubitem, & simul mihi constet, illam rem jam civiliter ab alio possideri: ergo non possum illius possessionem inchoare, si non habeam fidem positivè bonam, & si non judicem non esse alterius, sed meam,

Confir. 3. tiò. Etsi dubitem, an hæc res sit alterius, vel etiam judicem illam non esse alterius, adhuc mea conditio ex nullo capite est melior, quàm alteri-

us: ergo non possum tunc talem rem incipere possidere animò absolutò illam possidendi.

Probatur ulteriùs ea conclusio, ad præscriptionem requiritur tale iudicium, quod sit aptum dirigere conscientiam, ut quis sine peccato rem possit habere ut suam: sed ad talem directionem non sufficit iudicium dubium, aut fides negativè dubia: ergo debet esse positivè bona fides: Prob. min. operari cum dubio semper est peccatum: ergo dubium dictamen non est aptum ad dirigendam conscientiam.

Dico 3. tiò. Non solùm ad præscriptionem rerum, sed etiam ad præscriptionem actionum & obligationum est ab initio necessaria fides positivè bona. Ità Covarruvias, Andreas Fachinæus, Molina *disp. 66.* Lessius *l. 2. cap. 6. dub. 6.* Layman, *lib. 3. summa sect. 5. tract. 1. cap. 8. n. 12.* Palao *de Just. disp. unica pu. 22. §. 6.* Probatur. Nulla præscriptio est concedenda, quæ fit cum mala fide, quæ est peccatum mortale, inchoata, & continuata, ergo &c. Prob. 2. dò Regula illa: Possessor malæ fidei

ullo tempore non præscribit, est universalis, & de omnibus præscriptionibus loquitur: ergo etiam de præscriptionibus obligationum & actionum. Prob. 3. tiò. Ut Pontifex annullaret præscriptiones rerum cum mala fide factas, fuit permotus ex hoc, quod in his omnibus sit peccatum: atqui etiam in præscriptionibus actionum & obligationum sine bona fide factis est peccatum: ergo & hæc sunt annullatæ.

8 Ex his conclusionibus colligimus responsum ad casum propositum: Petrum nequaquam hunc annulum præscripsisse, quia cum mala fide præscriptio fuit facta & hæc juxta allatas conclusiones primam & secundam non valet, æquè minùs valet præscriptio, vi cujus sciens se non habere jus ad pascendos suos boves in vicini sui prædio, eosdem tamen ibidem pascere perrexit ob eandem, quam etiam hic habuit malam fidem, prout defendit Covarruv. Molina disp. 66. concl. 3. & 4. Lessius l. 2. cap. 6. n. 21. Laym. l. 3. Summa tract. 1. cap. 8. n. 12. Et habetur Leg. hæc autem ff. de servitu-

tibus urbanor. prædiorum. juxta Legem sequenti. §. Si viam ff. U-
sucap. Æquè parùm præscripsit exemptionem ab obligatione pascendi boves sui vicini in suo agro, si hic volens fuit semper ab illo prohibitus, quia etiam in hoc casu mala fides intercessit.

Objic. contra 1. conclusio- 9
nem: Leges approbant præscriptionem etiam mala fide factam: ergo ad præscriptionem non erit necessaria bona fides. Resp. dist. antec. Leges civiles approbant præscriptionem etiam mala fide factam, quæ tamen à Jure Canonico fuerunt reformatæ. conced. quæ non fuerunt reformatæ. neg.

Contra est, licet fuerint reformatæ à Jure Canonico, tamen adhuc verum est, quòd vi legum civilium non requiratur bona fides: ergo nulla responsio. Resp. transmissio antecedente neg. conseq. Ratio est, quòd pro foro conscientie habenda sit potius ratio Juris Canonici, quàm civilis, quia jus civile non habet curam salutis spiritualis, sed boni communis in civilibus. Quando autem agitur de pec-

cato, leges civiles validè corripuntur à Canonibus.

10 Dices. Saltem non requiritur bona fides in præscriptione longissimi temporis, & in possessione immemoriali: ergo &c. Probatur antec. possessio immemorialis habet vim tituli: ergo ad illam non requiritur bona fides. Resp. neg. antec. in probatione antec. possessio immemorialis habet vim tituli, si non clarè constet de vitioso ingressu atque initio actûs, & ex bona fide procedat conc. Si de hoc clarè constet, neg. antec. & conseq. Ità Fachinæus *consil. l. 1. cons. 66. n. 24.* Glossa in *cap. 1. Verbo, nisi de præscriptionibus l. 6.* Abbas *cap. ult. de præscript.* Covarruv. *ad Reg. Possessor. 2. p. §. 8. n. 4.* Ratio est, quòd eò gravius aliquis peccet, quòd longiore tempore malæ fidei possessor rem alienam detinet: cum ergo in *cap. ult. de præscriptionibus.* Pontifex rejiciat omnem illam præscriptionem, quæ cum peccato fit, etiam talis erit rejecta.

11 Objic. 2. dò. contra eandem conclusionem. ponamus casum, quo incipiens præscriptionem

committat negligentiam venialiter peccaminosam, in hoc casu non potest dici, an impediatur, vel non, ipsa præscriptio: ergo non est necessaria bona fides. Si dicatur, quòd non impediatur, contra est. Talis fides non est bona, quia est Theologicè culpabilis: sed à mala fide impeditur præscriptio. Respond. non impediendam præscriptionem: ad probationem distinctionis dist. maj. est Theologicè venialiter tamen culpabilis conc. est Theologicè graviter culpabilis neg. maj. & sic distincta minore neg. conseq.

Dices, gratis dicitur, quòd fides Theologicè culpabilis leviter non impediatur præscriptionem: ergo &c. Resp. neg. ant. in *cap. enim fin. de præscriptionibus* rejicitur illa sola præscriptio, quæ sine mortali peccato fieri non potest: ergo quæ cum veniali fit, admittitur.

Quòd autem requiratur fides non mortaliter mala, & non obsit venialiter mala, probatur ex hoc. Jura dicunt: *Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica, quàm civilis.* Hujus au-

autem generalis statuti quoad omnem præscriptionem, subjungit rationem: *cum generaliter sit omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest conservari.* Unde apparet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.

12 Objic. 3. tiò contra tertiam conclusionem. Qui dubitat, an res necdum à se possessa sit sua vel alterius, potest saltem illius possessionem incipere hoc animo, ut scilicet velit illam possidere ut suam, usque dum cognoverit esse alterius, consequenter ut sit sua, si neque alterius sit, neque ab alio possideatur, paratus etiam sit, eam alteri tradere, si cognoverit esse alterius vel ab alio possessam. Ità Lugo hìc *disp. l. 7. sect. 3.* Resp. neg. hoc posse fieri: vel enim res taliter possideri incepta, re ipsa fuerat alterius, vel nullius fuerat, aut à nullo possessa? Si ponas rem hanc re ipsa fuisse alterius, tunc ego eam nunquam simpliciter & absolutè possedi, sed tantùm sub conditione: si autem non absolutè neque simpliciter illam rem possedi, non po-

tui illam præscribere, ergo &c. Probatur maj. ut absolutè illam possedissem, fuit necessarium, ut purificetur conditio, sed ista non fuit purificata: prob. min. conditio, sub qua debuisset purificari, & sub qua absolutè possedissem, erat, si non fuerit alterius: sed hæc nunquam fuit purificata: ergo &c. min. constat, res illa fuit alterius, & conditio erat, si non sit alterius: ergo non fuit purificata. Si autem ponamus rem illam nullius fuisse, atque à nullo possessam: contra est, neque in hoc casu possum talis rei proprietatem ope præscriptionis, aut requisitæ possessionis obtinere. Probatur, Si talis res in nullius alterius proprietate aut possessione fuit, tunc statim fit primo occupantis, consequenter ego statim illius proprietatem atque Dominium acquirō: ergo &c.

Objic. 4. tiò. Si foret necessaria fides positivè bona ab initio possessionis, seu iudicium positivum, ratio foret, quia aliàs talis operaretur in dubio: hæc ratio nulla est: ergo. Probatur min. hoc dubium est tantùm speculativum, non autem practicum:

eticum : sed cum dubio speculativo licet operari : ergo etiam cum tali dubio. Resp. conc. maj. neg. min. in probatione dist. maj. tale dubium est merè speculativum , & tamen stante illo non possum formare aliquod dictamen practicum ac ultimum, conced. ut possum tale dictamen ultimum formare. neg. maj. & dist. min. sed stante dubio speculativo possum operari, si possum formare dictamen ultimum conced. si hoc non possum formare neg. min. & conseq.

14 Objic. 5. tò. contra tertiam conclusionem. saltem non est necessaria bona fides ad prescribendas actiones, & obligationes, ergo non subsistit tertia conclusio asserens ad harum prescriptionem fore necessariam bonam fidem. Prob. antec. in regia constitutione Hispaniæ 9. tit. 15. lib. 4. novæ collectionis constituitur, ut famuli aut ancillæ non amplius possint à suis dominis expetere debitum sibi salarium, si intra tres annos idem expetere neglexerint : ergo domini intra hoc tempus obligationem solvendi famulis salarium prescripserunt, & quidem ma-

la fide quia sciverunt se famulis debere hoc salarium. Resp. neg. antec. in probatione concessa antecedente dist. conseq. ergo domini possunt prescribere, si hæc lex daret facultatem prescribendi dominis conced. si hanc non concedit, sed dat solum exemptionem, ne domini per judicem ad solutionem post triennium compelli possint, negatur conseq. ut fraudes multorum famulorum evitarentur, hæc à legibus Hispanicis fuerunt statuta, queis tamen non obstantibus domini in conscientia obligati sunt ad solvendum famulis suum salarium.

Objic. 6. tò Si Cajus sit obligatus, ut patiatu^r boves sui vicini pasci in suo agro, vicinus autem hoc suo jure per tempus ad prescriptionem necessariam non utatur, tunc finito hoc tempore Cajus prescripsit exemptionem ab hac obligatione juxta *Legem : hæc autem. ff. de servitute urbanorum prædiorum* : sed Cajus fuit in mala fide : ergo cum mala fide prescribitur saltem exemptio ab obligationibus aliquid patiendi. Prob. min. Cajus scivit suo vicino competere istud

C

jus,

ius, & tamen tacuit, ergo fuit in mala fide. Resp. neg. min. in probatione concess. antec. neg. conseq. Ratio est, quod hæc præscriptio non procedat ex actione præscribentis Caji, sed ex negligentia partis adversæ, quia hæc certo quodam tempore non utatur jure suo; cum ergo non sit obligatus, ut vicinum moneat sui juris, ideo non est in mala fide, quia agnoscit se nihil omittere ex his, ad quæ obligatus est. Molina disp. 66. conclus. 4. Lessius cap. 6. dub. 6. Ità docuit Abbas in cap. ult. de præscript. Bartolus, Sylvester, Palao, cum aliis.

16 Objic. 7. Qui damnatus fuit ad certa bona Fisco addicenda, & fiscus intra tempus ad prescriptionem deputatum non exigat, talis debitor præscripsit, & tamen fuit in mala fide: ergo cum mala fide potest præscribi. Resp. neg. talem in mala fide fuisse, quia non tenebatur, antequam exacta à fisco fuissent debita, fisco persolvere, sed tantum post exactiorem, quam ille nequaquam impedit; ex altera etiam parte sibi conscius fuerat, se posse illa bona

retinere, ulque dum expetantur.

Objic. 8. Potest aliquis cum 17 mala fide præscribere actionem judicialem: ergo non erit ad omnem prescriptionem necessaria bona fides. Prob. antec. Si Petro vendidi equum laborantem tali vitio, quod, si à Petro fuisset cognitum, eidem competeret actio redhibitoria, seu rescissoria contractus, tunc Petrus juxta semestre potest actionem hanc contra me instituire, non autem potest post semestre elapsum: ergo potest hæc actio à me præscribi, & quidem cum mala fide, quia toto hoc tempore scivi, equum venditum habere hoc vitium. Resp. neg. antec. in hujus probatione concess. antecedente nego, hinc malam fidem intervenisse: Ratio est: quia hæc exemptio ab hac actione judiciali non oritur ex aliquo illicito facto vendentis, sed ex voluntate legum, quæ ut multitudinem litium evitent, negarunt ejusmodi decepto actionem, est itaque aliquod privilegium ob bonum commune concessum.

Urgent: Si talis vendens est

ex-

exemptus ab actione, tunc saltem præscripsit obligationem reparandi damnum ementi datum: ergo adhuc cum mala fide præscript. Resp. neg. antec. quia in conscientia adhuc est obligatus ad hoc damnum reparandum.

18 Objic. 9. Saltem actio hypothecaria potest cum mala fide præscribi, ergo &c. Prob. antec. Laym. cap. 8. n. 12. dicit illam actionem non posse institui adversus tertium possessorem post lapsum temporis legitimi ad præscribendum, eò quòd hic non teneatur ad aliquid agendum, sed solum ad sustinendam rei oppignoratae vindicationem, si excussis bonis debitoris hic non sit solvendus. ergo &c. Resp. neg. utrumque antec. cum Palao §. 6. n. 5. pu. 22. disp. unica de Just. Ratio est, quòd hæc obligatio in perpetuum in hære re oppignoratae censeatur, quia ex contractu, qui de se perpetuus est, oritur, atque ex nulla lege fuit remissa.

19 Objic. 10. Potest dici, quòd Pontifex dicendo: *Nulla valet absque bona fide præscriptio*, so-

lùm adinveniret, ut talis facta præscriptio non valeat, in foro externo imperiali, & in foro interno conscientia. Prob. antec. Si hoc non posset dici, ratio foret, quia cap. ult. de præscriptionibus dicit: nulla valeat absque bona fide præscriptio: hæc ratio nihil probat; probatur: habet hunc sensum: nulla præscriptio sive de re spirituali & ad Canones spectante, sive de re sæculari, & ad leges Cæsareas pertinente valeat in foro externo Ecclesiastico: ergo &c. Resp. nego hoc posse dici, ratio est, quia sensus illorum verborum omnem præscriptionem, tam à lege civili, quàm à sacris Canonibus inductam nihil valere absque bona fide asserit, eò quòd Pontifex omni consuetudini & constitutioni derogat, quæ absque peccato mortali servari non potest. Leges autem concedentes cum mala fide præscriptionem non possunt observari sine peccato. ergo &c.

Objic. 11. Talis possessor est bonæ fidei, ergo potest sine fide positivè bona præscriptionem incipere. Prob. antec. in cap. Si virgo 34. q. 1. dicitur: unusquis-

quisque tamdiu possessor bonæ fidei, quamdiu possidere se ignorat alienum: sed qui habet fidem negativè solùm bonam, ignorat, rem esse alienam: ergo est possessor bonæ fidei. Resp. neg. antec. in probatione dist. maj. dicitur hoc de incipiente primum possidere rem, neg. maj. de continuante possessionem bona fide inceptam, conced. maj. & concessa minore sub eadem distinctione neg. consequentiam.



Casus III.

De bona fide ad inchoandam præscriptionem necessaria.

CAjus incipit possidere certum agrum cum fide quidem bona, ita tamen, ut hoc iudicium, seu bona fides, non fuerit expertus omnis prudentis formidinis de opposito, ne scilicet ager ad suum vicinum spectet.

Quæritur: Qualis bona fides ad inchoandam præscriptionem requiratur?

Synopsis.

Resolvitur I. Quæsitum.

1. Iudicium aliud est speculativum, aliud practicum.
2. Quod potest esse evidens,

moraliter certum, aut probabile.

3. Quæstio est de iudicio speculativo, aut remoto.
4. Ad inchoandam præscriptionem non sufficit quæcunque bona fides.
5. Versans solummodo circa rei proprietatem, non autem circa licentiam actionis.
6. Ut rem aliquam mihi arrogare possim, debeo prudentius iudicare, illam esse meam.
7. Sententiam de licentia actionis licet minus tutam & probabilem possum sequi.
8. An sententia favorabilior incipienti præscriptione, communiter præferatur?
9. Con-